

ix

piget erroris caussam indicare . Quum primum Pisaurensia marmora illustranda suscepisse , in duas eadem distribui classes , quarum prima integras Inscriptiones continebat , mutilas altera , nulla habita civitatis , aut peregrinitatis ratione . Postea mutato consilio Pisaurenses lapides ab advenis sejungere opportunum visum fuit , ac fragmenta suo loco inferere . In hac itaque ordinis perturbatione fragmentum hocce inter Pisaurenses Inscriptiones inconsulte collocavi . Illud item testatum hic volo , Inscriptionem nempe CXXXVI. quæ olim Villa Gozzea Chelmontis , nunc in vestibulo Passeræ Domus servatur , Roma huc fortasse delatam ; nemo profecto id tradidit : verum ipsa Inscriptio suspicari facit ; ea sic habet .

P . MARCIVS P . L

HILARVS

DEC. ESQVILINVS

Existimabam *Esquilinus* nomen servile fuisse P. Marcii ante libertatem . V. Not. CXXXVI. Verum secundis curis minus vera ea interpretatio visa est . Servile enim P. Marcii nomen *Hilarus* fuit , adeo ut certum sit DEC. ESQVILINVS *Decurio esquilinus* officium fuisse liberti illius . Quale autem illud fuerit , haud facile est statuere ; tamen ne rem omnino intactam relinquamus , animadvertisendum in titulis Columbarii Liviæ Aug. ab Antonio Francisco Gorio Viro de re antiquaria optime merito vulgatis , occurrere officium *a regionibus Urbis* , & *Decurionis a Regionibus Urbis* . Inde coniicere possumus non solum Regionibus Urbis generatim atque universe , verum etiam cuique regioni singulatim suos libertos , eorum-

†

que